





210/53

27 - 56

Gratulationes & pia Vota ²³

Scripta

CVM AB AM-
 PLISSIMIS VIRIS,
 NOBILITATE GENERIS, MINER-
 væ ac Martis gratia dignissimis, summa
 Eruditione clarissimis, ac rerum usuperitissimis
 & prudentissimis Dominis Consulibus, Præ-
 toribus & Senatoribus Reipublicæ ZIT-
 TAVIENSIS, ad munus Pastoris in
 Ecclesia Zittaviensi suscipiendum
 vocaretur

Reverendus & Clarissimus Vir Dominus

M. IOACHIMVS PASCHA Berolinensis,

*Honoris & amoris ergò consecrata,
 ab Amicis,*

G O R L I C I I

Typis Iohannis Rhambæ, An. 1600.

100 9045245

GRATVLATORIVM.

Postquam fata regens Deus Deorum,
Postquam vota legens Senatus urbis
Omnium optumus, unus optumorum:
Nostro te posuit gregi fidelem
Pastorem, Vigilem; lubentiori
Vultu percipies locutionem
Meam, tempore luctuum feraci
Fusam, Lachrymulisq; dedicatam,
Non tersam, aureolam, venustulamve,
Selectissime Pascha Christiani
Præco paschatos, ipsiusq; CHRISTI.
O quam muneris est tui sacratè
Graui de grauitate prolocutus:
Qui pastor bonus, vnicè bidentes
Diligit, monet, has movet, fovetq;
Mera prosequitur fidelitate,
Vera persequitur severitate,
Mira consequiturq; comitate.
Quorum charta brevis minus capax est.
Quo unguis te facile arguit leonem
Hoc est; repenitus pium Catonem,
Qui sanctum ædificabit hic Sionem.
Dehinc ex animo docens cor ipsum
Tam certò exprimis: hoc ut ut relectum
Nostris luminibus queat videri,
Non cor lumina rectius viderent.
Sic constantia diligens laboris,
Diligentia pes fidelitatis;
Sic vis maxima nobilisq; Virtus,
Parvi corporis hospita invenitur.
Orabo modò firmet ut Iehovah
Omnium omina fausta & auspicata
Actus ipse sacer sacros secundet
Laudes ipse suas suis adornet,
Nomen ipse suum suis perennet.

Observans: ergò F. Melchior Haufe
Z. L.

Reverendo & Clarissimo viro

D. IOACHIMO PASCHAE, THEO-
logo Ecclesiae Zittaviensis Pastori recens
designato.

Magna ministerium venerabile cura laborq;
Et Satanae & mundi techna minaq; premunt.
Maior at hoc relevat tutela favorq; supremi
Numinis, angelici praesidiumq; chori.

Maxima quin etiam requies & premia restant,
Cum fulgebit, uti sidera clara poli.

His igitur merito fretus potioribus illa
Spernis, id audenter dum IOACHIME subis.

Præterea est aliud quoq; non minus hisce, labores
Quod mollire tuos & recreare queat.

Scilicet officij sors vere cælitus, absq;
Donis si ve dolis legitimeq; dati.

Nescius es si quidem primoribus urbis ab ipsis
Illuc accitus non sine mente Dei.

Cumq; per orantem te illic Ecclesia primum
Audijt, arrisit concio docta gregi.

Omni bus hinc alijs hoc qui petiere repulsis
Te solum mystem te cupit ille sibi.

Vera loquor: cuncti testantur id illius urbis
Indigena, nec non te reverenter amant.

A 2

Ergo

*Ergo quod elegit Iovæ, quodq; Ecclesia confert
Munus, id ut faustum sit tibi, amice, precor.
Qui dedit officium, vires dabit ille docendi
Et præstò sacro flamine semper erit.*

Iosephus Vrsinus I. V. D.
Cotbuzianus.

A L I U D.

Ver redit, & lætis spirant afflatibus auræ,
 Germinè diverso flore iocatur agris,
Purpureisq; comis redijt prænuncia Veris,
 Cui Violæ fatum nomen inesse dedit.
Nascitur ut certa depingat imagine Christum,
 Vt doceat passum vulnera, flagra, crucem.
Suavibus & sylvæ concentibus æthera miscent,
 Incipiunt viridi fronde notare comas:
Concelebrat lætum Christi Philomela triumphum,
 Incipit & toto rure vigere labor.
Dum IOACHIME tibi peregrinis vivere terris
 Contigit, Aonij lausq; decusq; chori.
Dumq; subire novi fato iuga muneris instat,
 Errantem Christi pascere voce gregem.
Ex superum nutu gratissima dona reportas,
 Quicquid habes soli competit omne Deo.
Competit omne Deo, tibi quid confertur honorum,
 Quicquid opum summo competit omne Deo.
Non tibi cura fuit Musarum relinquere sedes,
 Sed tibi propositum: Dispositum omne Dei.
Est hominis certe proponere cuncta, sed ipse
 Disponit, Vitæ regula certa Deus.
Huic igitur grates facili persolve Camœnæ
 Excelsi quoniam munera Iuris habes.

Multa

Multa quidem versans animo sub pectore multa
Iactabas, subito mox tibi venit honos.
Vicit tristitiam læti tibi pectoris omen,
Vicit & hanc curam cura superna tuam.
Te vocat : officio te dignum cernit in amplo
Zittaviæ tractus, te cupit esse loco.
Vulnus ut inflictum, placide pestemq; nefandam
Doctrina & vitæ dexteritate fuges.
Offensi cætus sanctum repararet ut agmen
Te voluit dias sustinuisse vices.
A Egrotis animis cœlesti ut plena liquore,
Pocula contribuas, quæ medicina iuuat.
Quæ iuvat æterna superum vescantur ut aura,
Et divûm merces hinc tibi maior erit.
Sed quid opus multis ? rerum te cura docebit,
Expertus, quicquid me fugit, ipse tenes.
Ecce Novem Musæ Lauro Daphneide, frondes
Spargunt, ut pacem nil nisi lingua sonet.
Gratulor ergo tuis prosperrima tempora Musis,
Gratulor incæptum nec malè cedat opus.
Applausu Charites palmæ te munere ditant,
Vt tacite vitam palmitis instar agas.
Quo magis hæc premitur, tanto magis appetit auras
In sublime virens crescit adaucta magis.
Hæc tibi vita malis instantibus acriter obstes,
Ne casu dubio deijciare vide.
Hoc quia te Musæ ditarunt, munere, ceptis
Exoptant hilares omnia fausta tuis.

*M. Valentinus Röselerus Leontinus
Pastor ibidem.*

A 3

ALIVD.

ALIVD.

Ad dextram residens, terras moderantis & astra
 Verus homo Christus, verus honore Deus,
 Colligit in terras, verbi per munia cœtum,
 Ardua cui summi conferat astra Patris:
 Doctoresq; sacros cœlestibus excitat oris
 Eloquioq; graves & pietate viros.
 Qui velut aureolis Alcides agmina vinculis
 Traxerat, ad superos agmina voce trahant,
 Quiq; patrum doceant de religione nepotes,
 Et populos Iovæ iura sub alta vocent.
 Presidet is templis viresq; docentibus addit,
 Estq; sacri custos duxq; paterq; gregis:
 Presidis huius opem dubiis Ecclesia rebus,
 Sentit, & invito Damone, salva manet.
 Hoc duce Tartarei vim sustinet hostis & astus
 Ordo, Dei cœtum qui regit, arte scholas,
 Sic Iovæ continuo sanctos dedit ordine Vates,
 Et pia qui templis Iura dedere Patres.
 Qui genus Isacidae ductum de sanguine Patris
 Legibus & veris erudière sacris.
 Sic quoq; bisse nos proceres demisit Olympo
 Dux Iovæ, quosq; foret longa referre mora,
 Ac velut à prima transmisit origine vates,
 Sic quoq; servat adhuc sacra scholasq; sacras.
 Ingeniosq; viros divinis dotibus auget,
 Qui sacra Iovæ templa scholasq; regant,

Ergo

Ergo ducis tanti bonitatem pectore fixam
Laude ferat digna concio grata Deo.
Diuinofq; viros merito dignetur honore,
Qui populum vera de pietate docent.
Doctrinamq; piam moderatis moribus ornant,
Turpia nec posito facta pudore patrant.
Ne qua ministerio possint aspergere labem
Crimina, Doctori rite cauenda pio.
Tali cum studio facis IOACHIME secundis
Munia suscipias sancta vocante Deo,
Iure Deo grates agit & pia vota profundit
Non male Lusatio condita ZITTA solo.
Et merito sacros verbi complexa ministros
Ornat honorifico templa scholasq; loco.
Datq; preces merito, Deus ut munusq; docendi
Doctorumq; suo numine corda regat,
Flamine teq; sacro IOACHIME gubernet, Et orci
Ad furias dextra vindice praestet opem.
Agmina quo Christo, tanquam Tirynthius heros
Cogas eloquij tracta nitore tui:
Verbaq; Dia Iouae dictus in secla propages
Praesidio nitens auxilioq; Dei.
Hoc duce tartareas superabis & auspice turmas,
Hoc franges Stygij praeside castra ducis;
Iusticiaeq; feres nitidam post fata coronam,
Quam tibi, cui seruis Christus in axe dabit.
Huic cura tua fata duci, tua munia sunt,
Et labor hoc ceptus praeside, prosper eat.

Multa

Multa turba tuo ductu succedat olympto,
Perpete qua celebret numina laude Dei.
Id mea Musa tibi Nissusq; precatur, & omnes
Nerēides quot Gubna propinqua colit.
Angelus Isaciden Syrias qui duxit ad oras
Ducat ad Elysiū te IOACHIME solum.
Fortunetq; tuos patria bonitate labores,
Prouehat & vita fata benigna tua.
Vi cælos plantas, ut et immortalia cælo
Præmia, diuino digna labore feras.
Hæc precor his votis pater annuat altus Olympi,
Seruiat huic omnis cura laborq;, Vale.
Scribere plura mihi prohibet labor ægraq; mentis
Cura, negat Musis ocia læta meis.
Ergo vale, felix properataq; carmina vultu
Quo sunt scripta, velim candidiore legas.

Honoris & amoris ergo faciebat
VVilhelmus Actius, P. C.

RENOVALIA

ECCLESIAE ET SCHOLAE
ZITTAVIENSIS, propulsata iam & profligata peni-
tus, Dei Opt. Max. benignitate, lue pestifera.

SVDETVM nivibus non semper cana coruscis
foedantur iuga: non glaciali frigore semper
rura rigent, canent virgulta; nec ardua semper
cassa suo stat fronde arbos, nec prata colore.
Interdum lætis vicibus sua floridus annus
tempora permutat: Zephyriq; tepentibus auris

fylvas

fylva suis iterum folijs rediviva superbit :
parturit almus ager ; pinguntur floribus arva :
conciliatq; suo spem vinea grata colono.

Sic quoq; Sortis heræ rabies non usq; procellis
horrisonis instat, servatq; irata tenorem :
nec tam adeò gravis est unquam ; quin commoda secum
non quædam ferat : ac luctus longinqua frequentis
tædia, læticiæ tandem dulcore serenet.

Nam mala sæpè bonis dant cursum, & cardine verso
sunt bona caussa malis : expertis credere fas est.

Te nunc te intueor Zittavia nobilis : hanc tu
fortunam experta es : memori iam pectore servas
tertia ut in cineres correpta resederit Urbis
pars flammis, gemina & iam tum vice mœsta pavefcis.
Vix ubi disiectas moles, convulsaq; saxis
faxa crexisti (cum iam duo lustra revolvens
Sol pater auricomus bigis afflaret anhelis :)
ecce novam intentant tibi Fata (ò horrida) cladem.
Visa tuam nuper contagia dira per Urbem
serpere, permultos hominum demittere leto :
sæviti atrox Lachesis, luctu Libitina frequenti
compita lata replet : resonant plangoribus ædes.
Hic patriæ Patres deflent : hic morte peremtum
præfectum sacris Vatem : qui carmine docto
grata DEO templis resonârat, ad alitis instar
frondea quæ cantu mulcet virgulta sonoro.
Et nunc æthereas tranans volitavit ad arces :
& stipante choro aligerum modulamina pangit.
Te quoq; Apollinea insignem doctissime lauru
GALLE, manu medica, terræq; potentibus herbis,
qui tabe infectis producere fata solebas,
nec Musarum artes, nec Apollinis infula texit.
At nunc Archiatri ad latus Israëlis adhærens
divinæ agnoscis Panacææ pharmaca, & usum.

B

Quid me-

Quid memorem docti pariter duo clara Lycæi
fulcra, quibus salvis teneræ spes integra pubis
stare diu, extinctis retrò sublapfa referri?

Quorum hic quâ ludum illustrem prætermeat amne
ALBIS, Mylorum scopulos & rura pererrans:
alter ab Elysijs accitus venerat oris:

Hic ubi terra ferax vena prædivite glebæ,
quæ varios hominum præbet medicamen ad usus,
inventum nutu Superûm: quo LEMNIA sese
antea iactârat tellus: quodq; inclytus arte,
acer & ingenij sub apertas ætheris oras

MONTANVS primus Mamimorum iusserat ire,
Nec tamen herbarum Virtus, nec gleba sigillo
insignis, tutos Parcarum, & mortis acerbæ
legibus exemit, lucemvê est arte morata.

Nunc in conventu Superûm, quâ purior ignis,
Iusticiæ Solem propter, proceresq; sacratos
æternæ legesq; Scholæ, & sacra scita capeffunt.

Spargite Pierides flores: date, porgite plenîs
vos Charites calathis violas: date munera tumbis
posthuma; & Aonias ad busta effundite lymphas.

Felices, operum quibus in statione peremtis
contigit oppetere: hanc sibi laudem vendicat unam
miles in adverso occumbens discrimine Martis.

Nec tamen interea tanta saturata quiescit
clade ferox Clotho: labuntur plurima passim
corpora: nec modus est, nec finis planctibus ullus.

Abreptum genitrix natum gemit: illa marito
iusta parat: caræ exequias suprema maritæ
dona vir exsolvit: pueri innuptæq; puellæ
turmatim intereunt: carivê parentibus orbi
triste patrociniû, & rebus tutamen in arctis
tutoram expectant passim: & vacua atria circum

Aoni-

Aônidum & Phœbi pubis vexilla secutæ,
amissis torpent studia interrupta Magistris.

Quid tibi quid tanto ZITTA V I A turbine rerum
quid tibi mentis erat? tam desolata videnti
mœnia, cive domos spoliatas? prole parentes?
& sacras fuetis vacuas congressibus ædes?

Nec velut ante suis Heliconia ad atria Musis
devotos iuvenes, magno Virtutis amore?

Vota precesq; dabas: finemq; modumq; laborum
suspirans desiderio, cœlestia supplex
Numina poscebas, & lapsis rebus asylum.

Tum pater omnipotens procedere longius iras,
& sævire minis Libitinam haud passus acerbis
audijt: & curâ temploq; Scholæq; fideli
prospexit bonus: & tandem illætabile fatum
avertens: secura iterum dedit otia Musis:

Christicolûmq; avidæ redeunt ad pristina mentes
alma quibus contenta Salus, commercia V E R B I.

Hic tu magnifici ductu, nutuq; Senatus
vitiferos relinquens colles, & amœna G V B E N A E
mœnia, permissu I O V A E | sacra iussa capeſſis:
suscipiens vita functi I O A C H I M E labores
V O G E L I I: exiguam compensans mente staturam
magnanima, & varia dote, ingenijq; vigore:
multijuga clarus lingua, & sermone disertus.
Hæc tibi Sors cecidit: rumpatur ut ilia Thraſo.
Est mea Sors vicina tuæ: tibi tradita fani
cura, mihi teneræ moderari fræna iuventæ.
Obtigit hoc voto prius, & spe utriq;, quod esset
læticiæ nobis, livori causa doloris,
qui nos invidiæ stimulis agitavit amaris.

Tempus idem officijs quod nos coniunxit utrosque
idem iungat amor, studiis animisq; propinquos.

Gratia CHRISTE tua est, quòd non consumpta pro-
his penitus, Patrum & Plebis, pubisq; caterva est. (cellis
Dexter ades cœptis Deus: eventuq; secundo
templa, Scholamq; rege: ut doctrinæ flore venusto
turba ornata, tui cultrix, & dedita Musis,
harmonicam gratam æthereas transmittat ad auras:
& te digna sacræ celebrent Soteria Musæ.

M. Samuel Iunius Suebus, Collega docentium
in Schola Zittaviensi F.

A L I V D.

SIC tibi Paschas renouatur Paschate Pascha,
Exitus enimitans Exodon Isacidum.
Illinc non fuerat propero via libera Mosi,
Ni prius explerent signa stupenda vices.
Anne stupefcenti satis obuia signa cateruæ
Vox tua rite Dei Numine iussa dabat?
At te post habito multos monitore per annos
Tandem aliò suadam Fata vocare tuam.
Mysten Zittensis meliori more supremum
Te legit, ut vigeat cultibus Ara sacris.
Fata vocabant, Vota fauebant, Ioua volebat,
Sic noua communcta vita valebat ope.
F, IOACHIME, novos sectare vocatus honores,
Fidus commissas pascito pastor oues.
Mente sagax tenebras & veri discute lucem,
Magnorumq; minas vimq; morare nihil.
Blanda nec ambitio spectet mala premia mundi
Funera nata solo, Fenora strata polo.
Hac spe fretus adi Christo duce, & auspice Christo,
Migrantem an melius voce precante sequar?

Tyndaridas fratres exposcit Horatius auras
Et Paphiam ventos plenaq; vela rogat,
Cum se crediderat Pelago visurus Athenas,
Iliade hic maius qui dedit autor opus.
Et sunt quos cæcus malesanos fascinat error
Dum volucrum pennis omnia fausta notant.
Ito bonis aurbus optant: Heu grandia voti
Ne abripiat metuo pondera præpes avis.
O fatuos Vates: quid aues, quid sidus adoras?
Vota creaturas quid tua cassa vocant?
Quis Deus ergo piis melior se accomodat ausis?
Cui pro te superum vota precesq; feram.
Qui Mosen igni nocturno & nube diurna
Te quoq; migrantem, Dux comitetur ouans.
Præuius ille Vagos fluctus tibi sternat eunti,
Et planam faciat vel iuga celsa viam.
Qui Patris à dextra cælis sedet altior altis
Cuncta potens valido sub pede pressa regat,
Næu inimica premat stet ut alma Gratia pacis
Aligero cingat teq; tuosq; choro.
Pectus agat docile afflatu spirabilis aura,
Vividum ab arguto suggerat ore sonum.
His ito auspiciis & credita templa reuise,
Tu memor ut nostri sit Deus ipse tui.
Pascha peregrinis Paschales viuimus oris,
CHRISTE tuis superum Pascha parare Veni.

M. Ioachimus Bucholcerus Scholæ Soranz
Rector Amicitia ergo f.

B 3

ALIVD.

ME pietas suavis, veræ pietatis amanti
 Artibus exulto, reddere vota iubet.
 Reddere vota iubet, mihi si facundia linguæ,
 Si mihi vena fluat sed dolor omnis adest:
 Nam dolor est tristis, quo non est tristior ullus
 Cum divelluntur pectora iuncta fide.
 Quid sit amor constans quid candor dexteritasq;
 Rebus in adfluctis, iam mihi monstrat iter.
 Quas Ioua coniunxit mentes, ah fœdere firmo
 Semper in optata vivere forte volunt.
 Quo fugis ergo meæ mentis pars atq; medulla?
 Quo fugis ô dubijs ara reperta meis?
 Mœnia cur linqvis claræ, Ioachime Gubenæ
 Tendis & ad Nissum non remorante pede?
 Hactenus ore pio sparsisti dicta, Gubenæ,
 Nunc vultum nobis, alloquiumq; negas.
 Dic mihi, Pascha, Dei cur cœtum deseris alium,
 Et loca forte tibi commodiora petis?
 Fors domus apta minus: fors diversoria nota,
 Non antiquatibi, Mi Ioachime placent?
 Nonne dolor, gemitus, planctus, suspiria multa,
 Te retrahunt? Nonne hæc pectora mœsta ferunt?
 Obsequeris fato meritò: nil illa moraris
 Arbitrium Domini pectora mœsta levat.
 Nam te fata vocant, certe est divina voluntas,
 Hac sine nil peragi, constituiq; potest.
 Fata vocant homines si votis fata fatigent,
 Auxilio freti consilioq; Dei.
 Fata dedere locum queis nemo resistere nostrum
 Audet, & illorum vertere tuto vices.
 Mira nec hæc res est, sequitur dum facta Paterna
 Filius, ac clarâ clarus in urbe viget.
 Non agnos etenim generat Leo fervida corda
 Gestans, ex aquila nulla columba venit.
 Si precibus multis rogitasses, obtinuisses
 Vix unquam: Domini provida cura fuit.
 Officij munus per honestum nactus es, orna,
 Da Zephiris vulgi verba ferenda vagis,

Ergo

Ergo serenata lætus cape munia iussa,
Auctor ut est Dominus sic quoque finis erit.
Floribus omnimodis ornata ostendito prava,
Atque animas multas collige Pascha Deo.
Dogmata sana feras, tribuet sic præmia summus
Pastor, & in cœlis regna beata dabit.
Et fremat, æstuet & frendat licet orbis & orcus,
Nulla pericla time: Nil valet INVIDIA.
Destruit hic Satanam qui cuncta creata gubernat,
Excubias fido progere semper agit.
Dum rex est regat hic, Dum dux est ducat ubique
Te, tua membra simul: nec perijisse sinat.
Confirmet semper sacrate spiraminis aura,
Quò peragas longè munera iusta Deo.
Vive valeque diu: Vivendo sæcula multa,
Exige, quo facias plurima grata Iovi.

*Franciscus Apelles Domino affinis
reverenter colendo F.*



4

Oberlausitzische Bibl. Görlitz



1006923 3